



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Praefatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

XL. De exigentibus noua passagia. XLII. De his quibus erat indultum quod excommunicari & interdici non deberent.

ANNA  
CONSTIT  
1287

CONSTITVTIONES IOANNIS TVSCVLANI  
episcopi apostolicæ sedis legati.

PRÆFATIO.

*Ioannes diuina miseratione Tusculanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, venerabilibus in Christo patribus vniuersis, archiepiscopis, episcopis, & dilectis sibi in Christo clericis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpositis, archipresbyteris, & aliis ecclesiarum prælatis, capitulis, conuentibus, & collegiis, Cisterciensibus, Præmonstratensibus, Cluniacensibus, sancti Benedicti, sancti Augustini, Carthusiensibus, Grandimontensibus, & aliorum ordinum, nec non prioribus hospitalis sancti Ioannis Hierosolymitanarum domorum, militiæ templi beatæ Mariæ Teutonicorum, ceterisque personis ecclesiasticis regularibus & secularibus, exemptis & non exemptis, & per partes Alamaniæ, Bohemiæ, Daciæ, & Suediæ regna, nec non Morauia, \* Marthiani, Polonia, Pomeraniæ, Prusciæ, Cassubiæ, & Liuoniæ ac Rusciæ ducatus constitutis.*

Locus corruptus.

**I**n perpetuum Deus deorum Dominus rite ac æquo, imoderamine cuncta præordinans, ab æterno ingentes legis voluit esse conditores, vt se homines esse cognoscerent, & proprium sub legis limitibus arbitrium limitarent: in ceterisque propulsatis, in silentiis roborarentur, iustitia vigeret, æquitas & candor magis enitescerent honestatis. Hæc tria, quasi conformia, & status prosperitatem asserentia possessoris, promptis affectanda sunt desiderijs, summis exequenda vigilijs, & sollicitis studiis acquirenda. Hæc apta sunt & necessaria protinus singulis maxime personis sublimibus, dignitate præcellentibus, ac in sacris officijs constitutis. Hæc sicut affectu nobis anxio appetimus, sic & ea subditis nostris libentissime propinamus, vt per æquitatis, iustitiæ, honestatis suæ trames incedentes, ad sit eis felicitatis status tranquillitas, & plena iucunditas libertatis. Vt igitur de commisso nobis per sacrosanctam matrem Romanam ecclesiam in partibus nostris plenæ legationis officio, & continuis nostris labo-

\* m.  
serp.  
vi.  
for.  
dun.  
gum.

ANNO  
CHRISTI  
1187.

ribus, quos libenter perferimus, & subditis nostris quietem pacis, & status commoda propinemus, fructusque percipiant optatos, pro salubri statu cleri, partium, regnorum, & ducatum prædictorum, in sacro Herbipolensi Concilio, assidentibus nobis venerabilibus patribus, Moguntinensi, Coloniensi, Saltzburgensi, & Viennensi, archiepiscopis, & nonnullis eorum suffraganeis, & de ipsorum ac abbatum & prælatorum præsentium \* quasdam constitutiones edidimus per eos in posterum inuiolabiliter obseruandas, quæ a iure suadentur, æquitati deseruiunt, & continent honestatem: mandantes auctoritate qua fungimur, vt in qualibet etiam cathedrali, conuentuali, seu etiam collegiata, sub nostro sigillo penitus habeantur annuatim, prout in constitutione nostra contra vsurarios actus inferius annotata expressè legitur, publicandæ. Vos itaque has constitutiones deuote suscipite, & eas tamquam amatores iustitiæ inuiolabiliter obseruate.

\* desit for  
in cõsilio,

## CAPITVLA.

### I.

In nomine Domini, Amen. Vt Christi militia laudibus deputata diuinis, vita, gestu, moribus & habitu a malitia secernatur humana, cunctos archiepiscopos, episcopos, clericos, abbates, ceterosque inferiores ecclesiarum prælatos & personas in dignitate sacri sacerdotii constitutas, quarum cura nobis committitur, auctoritate hortamur in Domino, & paterna suadela monemus, vt pie, caste, munde, ac in splendore \* vitæ viuere studeant, grauitate qua conuenit, tam in habitu, quam in moribus incedentes: & vt dignitate præcellunt, sic & vitæ præfulgeant honestate, præsentis constitutione statuimus in posterum valitura, vt archiepiscopi, episcopi, abbates in domibus eo-

\* manu  
scriptus  
vit. habet:  
forte legen-  
dum, vit-  
gatum